



motiones, ut civitates, & oppida penitus subvertantur, foloq; æquentur, prout initio anni 1703. magna urbium, & oppidorum in Regno Neapolitano accidit ruina, & anno 1694. urbs Catania in Sicilia tota quanta est diruta. E contrario isti terrarum tractus non nisi raro, & quidem tremulis dumtaxat motibus agitantur, qui nimio sulphure non prægnantes ab ignivomis montibus longius sunt remoti, velut nostræ regiones Germaniæ.

§. XXXV.

At mirum non est, substantiæ bituminosæ, ac sulphureæ in subterraneis cavernis subito accensæ eam inesse vim, ut terram moveat, concutiat, ac omnino disrumpat. Quantum enim non impetus deprehenditur in pulvere pyrio, quem ex sulphure, nitro, ac carbonibus, iisdem profecto materijs, quæ in terræ visceribus abunde reperiuntur, fieri scimus? is concepta flamma in mortarijs adeo rarefit, ut globum ferreum excavatum itidem pulvere repletum vi maxima ad ampliorem usque distantiam per aera disijciat, & si pulvis in pyrobolo quasi carcere inclusus semel accendatur, maximopere sese dilatat; quum autem spatium, quo se satis extendat, in globo nullum sit, ipsum ferrum utut durissimum motu vehementissimo, ac ingenti fragore in frustra disrumpit, partesq; solutas hinc inde propellit.

§. XXXVI.

Quod si vivacior terræ motus imago desideretur, ea in militaribus cuniculis, quos minas vocant, spectari facile poterit. Sunt autem cuniculi subterranei meatus, ac foveæ, quæ, quum prius fuerit excavatæ, dein pulvere pyrio replentur. Jam vero si pulvis inibi conclusus ignem concipiat, vehementer adeo rarefit, ut disruptis terræ lateribus,

D

disci-